

Codice Diplomatico Longobardo I, 83

+ In nomine domini nostri Iesu Christi. regnantem ex cellentissimo uiro adque piissimo domno Ratchis rege, anno regni eius primo, per in dictione duodecima; feliciter. Oratorio semper uirginis et Dei genetricis Mariae, que intra domo cella nostra Ueronensem sito in ciuitatem construere uisi sumus, simul cum Nazario connato et iogali nostro Autconda et Natalia germanas pro utilis Christi ancillas; presentes presentibus diximus: Dominus ac redemptor noster Iesus Christus et admonentibus nos ad gremium Sancte Marie ecclesiae redire ortatus est, et dulci uberum, qua primus admiserat parens, ubertim fluentia saciare commonisset dicens: uenite, saciamini; et qui non abetis praecium uenite; bibite in letitia, sub tali uero tenore aut condiccionem; conuertimini ad me et conuertar ad uobis; et si conueneris, quesieritis me, ero uobis in patrem, et uos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus. et per semetipsa clamat ueritas et redemcio nostra, Iesus bonus: petite et accipietis; querite et inuenietis; pulsate et aperietur uobis. et quia ob nostra neglegentia usque undecima hora clausa est ianua uel sero uenientibus, petimus remissa de noxis. Hanc igitur rationem conpunctas nos qui supra Autconda et Natalia germanas, cum consensu etiam Nazario connato et iogali nostro, non de nostra merita sed de Iesu Christi misericordia fidentes, qui et profitico nos exortatur eloquio dicens: nolo morte peccatoris, sed conuertatur et uiuat; preuidimus in auctoritatem domine nostrae sanctissime uirginis Marie intra domo cella nostra monasterium construere, in co et regulariter, secundum fuerit uoluntas, conuiuere disponimus. et omnem nostram substantiam, quicquid habere uidemur, ibidem offerimus, id est: in primis, casa ubi ipse oratorius est fundatus, cum alias casas, curte, orto intrinsecus, foris terris, uineis, colonicas, pradis, pascuis, nubalibus, montibus, seruis, ancillis, peculia omnia sesequi mouentibus, cultu et incultum, ere, ferro, utensilia, quicquid nunc possedere uidemur aut in antea aquirere et laborare potuerimus. eo scilicet ordinem, ut si nobis Dominus alias sorores dederit, et congregatio monacharum istis facta fuerit, post obitum nostrum ex semetipsas sibi elegant matrem spiritalem, qui eas secundum Deo et sanctam regulam foueat adque gubernet; et cuncta nostra substantiam regulariter disponendi in ipsius abbatisse uel sororum per omnia permaneat potestatem. et si congregatio hic facta non fuerit, post obitum nostrum omnis pecunia nostra sit in potestatem ecclesie Sancte Marie sita foris portam Organi; et abba, qui pro tempore fuerit, ipse disponat de officio uel luminaria sancti oratorii, et de pecunia nostra quid a fratribus uel quid ad pauperibus seu famulis, qui cum ipsam pecuniam laborauerint, debeat pertinere. defensionem uero uel admonicionem sancti monasterii uolumus abere ad monasterium Sancte Marie foris porta iam superius memoratum seu Andrea uenerabilis presbitero et abbati, ea condicione, ut si aliquid discordia inter sorores fuerit exorta, quam non possumus per nos euellere, tunc abba per semetipsum aut Deo timentem personam ipsum mali debeat monendum et corrigendum amputare; nam nulla nobis aut sororibus contra regulam uiolentia inponere audeat, neque per se neque per successores eius, sed abbatipsa, que pro tempore fuerit, semetipsam et monachas suas disponat. et, quod absit, post dicesso Andreae abbati, qui in tempore fuerit abba aliqua contra regula uel sanctis canonibus dominacionem aut forciam inponere quesierit, qua ipsas non possit, tunc elegat sibi abbatipsa cum sororibus delensionem uel admonicionem sancti Zenonis nutritoris nostri seu praesulis qui in tempore fuerit; sub eo namque ordinem, sicut superius est scriptum, ut nulla eis uiolentiam aut dominacio contra regulam inponatur; nam nos predicti Andrei abbati, dum ipse aduixerit, et defensionem et admonicionem siue inter sororis seu de alias causas, si nobis emergerint, elegimus, ut ipse nobis pater adque defensor existat. de filia

uero et nepte nostra Nazirimda ita statuimus, ut sit monacha, et cum alias sororibus, sic adunate fuerint, regulariter uiuant; quod si in hoc factum non fuerint, et ipsa post nostrum remanserit obitum, abba, qui in tempore fuerit, aut presul preuideat secundum Deo qualiter ipsa in Dei seruicio permaneat. et ex pecunia nostra, in quantum illis sufficiat, uictus adque uestitus percurrat, quatinus sine necessitatem uiuant. de seruos uel ancillas nostras ita decernimus: omnes liberi et libere sint, et abeant per caput mundio tremissis singulas; in ea uero rationem, ut, dum nos aduixerimus, nobis deseruiant; post uero nostrum dicessum, si sororis, que nobis successerint, aut forte abba, si ipse defuerint, aliqua eis uiolentia inferre uoluerint, que ipsi portare non possint, dent mundio per capud tremisse unum in ipsum sanctum locum, et uadant, soluti ab omni ius patronati, ubi uoluerint. haec omnia superius comprehensa, iam ut premisimus, inconuulse statuimus permanere. Quam uero ordinacionis nostrae paginam Bonoso archidiaconus sancte Ueronensis ecclesiae scribere rogauimus, et per nosmetipsos seu testibus roborabimus. Acto in ciuitate Ueronam, die .X. mensis magii, regnum et indictione superscripta; feliciter. Nomina eorum qui in otentico manus posuerunt: in primis, Autconda et Natalia, que ipsa cartola fecerunt; Sigipert episcopus; Giselpert dux; Curerat presbiter; Auderat filius condam Uuibiloni; Sigelais filius Sigerat; Ago filius condam Ragiloni; Radoin filius condam Totonis scripsit. Exempla de autentico releuata.